





1746, 11. 4. 6  
DISSERTATIO IVRIDICA  
DE

CRIMINE EXPILATAE  
HEREDITATIS

---

QVAM  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
PERMISSV  
SVB MODERAMINE  
ABRAHAMI KAESTNER  
V. I. D. ET P. P.

IN  
AVDITORIO ICTORVM  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHMIDIV  
LVBEN. LVSAT.

---

DIE X. AVGVSTI A. R. S. CIOIOCCXXXVI.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



171

D I S S E R T A T I O  
D E

C R I M I N E  
H E R E D I T A T I S

M A G N I F I C I I U R O R U M  
P E R M I S S U

A B R A H A M I K A S T N E R  
V. L. D. P. T. P.

A U D I T O R I O I U R O R U M  
P L A C I D O T R U D I O R U M E X A M I N I

C H R I S T I A N U S F R I D E R I C U S S C H M I D T

P R O P O S I T O R

L I P S I A E

1711



V I R O  
EXCELLENTISSIMO PRAENOBILISSIMO  
AMPLISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO

D O M I N O  
IOANNI CHRISTIANO  
SCHMIDIO

DYNASTAE IN BVRGLEHN

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS  
SAXONIAE

CONSILIARIO IN SVPREMO QVOD IN  
INFERIORI LVSATIA FLORET REGIMINE  
LONGE DEXTERRIMO

AEQVI BONIQVE CVSTODI CERTISSIMO

GENITORI SVO  
OMNI FILIALI AMORE PERSEQVENDO

PRIMITIARVM SVARVM ACADEMICARVM  
PAGELLAS  
STVDIORVM TESSERAS  
PRO INFINITIS  
A TENERIS IN HVNC DIEM VSQVE  
IN SE  
VBERRIMO AFFECTV PATERNO  
COLLATIS BENEFICIIS  
CVM  
OMNIGENAE ATQVE PERENNIS FELICITATIS  
VOTO  
AC  
SVMMAM ANIMI SVBMISSIONE  
OMNI QVAE FILIVM DECET PIETATE  
DICAT OFFERT CONSEC RAT  
ATQVE SIMVL  
VLTERIORI AMORI PATERNO  
SE RELINQVIT  
FILIVS OBEDIENTISSIMVS  
CHRISTIANVS FRIDERICVS  
SCHMIDIVS  
LVBEN. LVSKT. INFER. III. 1780



DISSERTATIO IVRIDICA

DE

CRIMINE EXPILATAE  
HEREDITATIS.



§. I.

Solent ii, quibus defuncti alicuius bona, *vel ex* *Heredes ius*  
 testamento eius, *vel ex* consanguinitatis iure, *deliberandi*  
 aliaue dispositione deferuntur, antequam obla- *babent, an vo-*  
 ta accipiant, dispicere: *num personam defuncti repraesentare* *tem adire nec*  
*ei*usque iura omnia omnesque obligationes suscipere, *e re sua*  
*ne?* futurum sit? Id beneficium Praetorio iure concessum est et-  
 iam liberis, *v. l. 11. 12. 57. pr. de acqu. vel omit. hered.* qui ri-  
 gore antiqui iuris, feruorum ad instar habiti, necessarii here-  
 des nominabantur. Huic deliberationi *iure Codicis annuum* *Quale sit spa-*  
 tempus praestitutum est. *v. l. ult. §. 13. C. de iur. del. siqui-* *rium si a Prin-*  
 dem a Principe petatur; *nouem mensum* si a Magistratu; iure- *cipe*  
 que Saxonico *intra annum civilem* vsurpatur. *v. Dec. El. Magistratu*  
 LVII. eius in locum vero furrogari plerumque solet *impetretur?*  
 inuenta-  
 rii confectio, ex quo vires hereditatis diiudicari queant.

A 3

§. II.

## §. II.

*Hæreditas eo tempore quo heres delibet non videtur habere dominum.*  
 Est igitur tempus, quo defuncti bona dominum non habere censenda sunt, illud scilicet, quo heres, utrum hereditatem adeat nec ne, dubius existit, possuntque res hereditariæ hoc tempore, certo sensu, res nullius dici; \*) si saltim aduertamus rei nullius nomen pluribus iisque diuersis rebus, diuersas ob rationes tribui. Ad eas enim res, quæ propterea, quod nullius sunt, cedunt occupanti, nemo hereditatem magis retulerit, quam res sacras et religiosas, licet cum iis ad rerum nullius classẽ referantur, in l. i. de D. R. Quod si igitur res nullius vocetur hereditas iacens, hoc est nondum adita, non aliud indicatur, quam certum eius dominum nondum existere.

*Bona iacentia inuadi non debent.*

*Bonorum vacantium heredes.*

Cum vero ea propter non cuius bona iacentia inuadere liceat, sequitur ut spes ac facultas dominium eorum obtinendi, certis personis, certo ordine, exclusis reliquis omnibus, a legibus concedatur. Nam qui ex bonis defuncti, præter creditores eius, capere aliquid possunt, sunt primo quibus hoc ius vel pacto, moribus Germanorum, vel testamento conceditur, deinde, deficiente testamentaria vel statutaria forte successione, illi qui in tit. instit. de succ. quæ ab intest. i. Nou. 118. enumerantur. Igitur licet non semper heredis persona certa sit, certum tamen est genus personarum, sub quo contineri debet ille qui ius sibi aliquod in res hereditarias acquirere potest. Vnde consequens est, ut non magis proprie res nullius hereditas nominetur, quam dici possit, creditori hypothecario nullum esse debitorem, propterea quod non in certam personam actionem habeat, sed in quemlibet possessorem.

## §. III.

*An sit opus fictione §. 2. de hered. inst.*

Vnde diiudicari potest an opus sit fictione §. 2. I. de hered. inst. et l. 31. §. 1. l. 52. π. eod. quæ supponit defunctum viuere

\*) Hinc GAIUS in l. i. pr. de R. D. nam, scribit, res hereditariæ antequam aliquis heres exstat, nullius in bonis sunt. Quo supposito, longius adhuc exulatur ratio et definitio furti, in specie certæ rei ex hereditate iacente ablatae.



vinere adhuc quamdiu hereditas nondum adita est. Vñ sunt ea Icti Romani vt definire possent ad quem spectent augmenta hereditati in spacio illo temporis *inter mortem et aditionem* intermedio, accedentia, legata e. g. seruis hereditariis relicta. Sic in *cit. l. 31.* hereditatem *dominam esse, defunctique locum obtinere* dicitur. Scilicet, res nullius, quae nullum plane dominum habet, vtique acquirere nihil poterit, cum acquirere fit eius, qui dominus est. Sed non indigebant hac fictione Icti, si cogitare volebant, hereditatem hoc sensu *rem nullius dici non posse.* Vnde eam otiosam adpellare cum TITIO I. Pr. L. VII. c. 1. §. 3. nullus dubito.

*Non videtur.  
Hinc otiosa  
vocat a Ti-  
tio.*

## §. IV.

Haec cum in finem praemissi, vt, *quid crimen expilatae hereditatis* sit, accuratius constet, et quaestiones quaedam, circa hoc crimen obuinentes, tutius decidere possem. Expilator scil. hereditatis adpellatur ille, qui, cum heres non sit, *expilatore* hereditate nondum adita, <sup>b)</sup> aliquid lucri faciendi gratia auferit. Et hic circa vocum significationem monendum est, expilatores quidem dici in *tit. 7. de expil. et effract. l. 1.* atrociores fures, quorum delictum cum violentia aliqua coniunctum esse debere, colligitur ex PAVLLI Lib. V. tit. 3. §. 3. *recept.* vbi simul nominantur: *qui aedes alienas villasue expilauerint, effregerint, expugnauerint.* Neque tamen existimo atrociorum hunc vocis *expilare* sensum in praesenti loco adhiberi, legibus, quae de *expilatae hereditatis* crimine loquuntur de *vi adhibita*, silentibus. Quare ablationem saltem rerum hereditariarum hic denotari, putandum.

*Expilator de-  
scribitur.*

*Pauli senten-  
tia reicitur.*

## §. V.

- b) Imo VLPIANVS in *l. 2. de crim. expil. hered.* respectu criminis expilationis, plane non distinguit *inter aditam et non aditam hereditatem*, sed vtroque casu auferentem, rem hereditatis nondum possessae, *expilatorem* vocat, nec proinde a poena absoluit. Nec aliter PAVLL. in *l. f. c. l.* Vnde colligendum: quod Icti Romani res hereditarias, in quaestione poenali non habuerint pro rebus NVLLIVS. v. KRESS. ad. C. C. art. CLXV. n. 1. p. m. edit. nou. 594. seq.
- c) Qui expilatores in genere dicantur, et quomodo a furibus et raptoribus

Quare in hoc crimine furti ordinaria actio locum non habeat? Cur vero crimen hoc non ordinaria furti actione coerceri possit, ratio redditur in l. 2. et 6. de crim. expil. hered. quoniam ante aditionem hereditas dominum non haberet. Idem confirmatur in l. 40. de nox. act. et l. 68. de furt. Perspicue hoc explicat VLPPIANVS in l. 1. §. 15. Si is qui testam. liber. SCAEVOLA, ait, (sunt verba ICTI,) possessionis furtum fieri, denique si nullus sit possessor, furtum negat fieri. Idcirco autem hereditati furtum non fieri, quia possessionem hereditas non habet, quae facti est et animi. Sed nec heredis est possessio antequam possideat, quia hereditas in eum id tantum transfundit, quod est hereditatis; non autem fuit possessio hereditatis. Minus recte itaque adserit BEIER in posit. ad π. tit. expilat. heredit. illos, qui ad furtum requirunt, ut dominus adsit atque possessor, cui res auferatur, sine lege loqui. Et hinc e contrario colligitur, furtum committi, si auferantur res hereditariae in quas alteri quicquam iuris est, puta pignora, vel commodata. v. l. 65. de furt. vel locata, v. l. 14. §. 14. eod.

## §. VI.

Quam significationem furti vocabulo tribuere velis, utique arbitrarium est, neque temere immutandus sensus, quo antiqui hac voce vsi sunt. Concedamus igitur, furem non esse qui hereditatem expilauit. Sed hoc concessio, nondum largimur quae recentiores doctores inde deducunt: leuiorem scilicet esse debere expilationis quam furti, poenam, quam plurimi adferunt, inde argumento ducto, quod furtum ab expilatione differat. Huic sententiae, quantum veritatis atque roboris insit, in sequentibus examinabo, et cum praecipuis inter eos,

An in crimine praesenti poena furti obtineat? Negant plurimi.

Praecipuis Carpz.

qui bus differant, omnium optime exponit CUIACIUS, Lib. XV. Obs. XXXI. ex graecis interpretibus; omnes scilicet esse nocturnos, qui obuios quosque pileis, palliis et aliis vestimentis rebusue spoliant. Non ergo confundendi cum raptoribus, Straffen-Käubern, Freybeutern, ut videtur C. A. tit. de crim. expil. hered. In praesenti tractatione, sermo nobis non est de expilatoribus in genere, sed saltem de illa specie, si hoc crimen circa hereditatem incertum commissum sit.

qui ita sentiunt, iure suo nominari possit CARPZOVIVS  
*Quaest. LXXXIII. n. 75. seqq.* in illius rationes potissimum  
inquiram.

## §. VII.

ET PRIMO quidem CARPZOVIVS prouocat ad *Ord. Examinatur*  
*Crim. art. CLXV.* sed vel obiter hunc locum intuenti, patet, *Carpzouii*  
*Nemesin* loqui de eo, qui ex defuncti bonis, in quae heredita- *sententia.*  
rium ius ipsi competeat, aliquid abstulit, *item* de crimine, quo  
coniux coniugi aliquid aufert. Tantum igitur abest, vt verba:  
deren nechster Erbe er ist &c. ad expilatorem hereditatis extra-  
neum trahenda sint, vt potius illis doctoribus accedendum sit,  
qui hunc articulum interpretantur de furto inter personas fan- *Sensus art.*  
guine vel matrimonio iunctas commissio, quod *amotionis nomi-*  
*CLXV. const.*  
*crim.*  
*ne* venit. Nam si de herede, ex hereditate a se nondum adita  
aliquid auferente *Caesari* sermo est, quomodo his cohaerebunt  
verba articuli: So sich dergleichen zwischen Mann und Weib  
begebe, und ein Theil den andern derothalben anfsagen würde &c.  
quomodo cohaerebit dispositio in fine articuli, *iudicem, nisi*  
*imploratum inquirere non debere?* Haec omnia monstrant ve-  
ram esse interpretationem, quam antea exhibui, et quam dedit  
Ill. de LEYSER *vol. VIII. Spec. DLVI. med. 1. p. m. 402.* quam  
etiam amplexam esse video LVDOVICVM in *doctr. Pandect.*  
*tit. de furt. §. X. item KRESS. ad cit. art. §. 1. not. 3. p. m.*  
*595.* Nec ipse CARPZOVIVS expilatorem hereditatis leuius  
puniendum esse *fure*, ita firmiter ex hoc loco concludere vide-  
tur, vt non potius BOCERI, cuius tractatum *de furt.* citat,  
sententiam referre voluisse censendus sit.

## §. VIII.

Deinde sententiam suam confirmat CARPZOVIVS legi- *Monita circa*  
bus *Romanis*, quae expilatoribus extraordinariam poenam *leges quas*  
iniungunt, vt *l. 1. §. 1. de effract. et expilat.* Sed hic duo *Carpz. ad-*  
mihi monenda sunt, *primo*, quod aequiuocatio forte committa- *ducit.*  
tur ab iis, qui generali vocabulo *expilatores* vocantur, ad *ex-*  
*pilatores*

B

*pilatores hereditatis*, concludendo; (v. *quae dixi §. 4.*) *Secundo*, quod in foris Germaniae nullae citari debeant leges Romanae, ad furtum, quatenus eius poena publica est, spectantes; quae enim poenae a Germanis in hoc delictum statutae sunt, eae Romanis ignorabantur, quorum leges agunt saltem de actione furti, qua priuatum interesse aliquis persequebatur. Non igitur vereor dicere, sententiam, *expilatores hereditatis leuiori quam furti poena coerceri debere*, ex non adaequata interpretatione *Nemeseos Carolinae* et incongrua applicatione legum Romanarum profluxisse. Ex quo patet, quid de illorum opinione iudicandum sit, qui ultra relegationem, poenam huius delicti extendi posse negant.

## §. IX.

Respondetur  
Carpzouio.

Nam id me nil mouet quod CARPZOVIVS poenam suspendii cessare concludit, *quia expilatores hereditatis proprie fures dici non possent*. Demus enim, quod iam ante concessi, in sensu quo ICI Romani furti vocem adhibent, *furtum hic non adesse*; an ea propter delictum est leuius furto? Actio furti, de qua leges Romanae disponunt, cum institui debeat, saltem a domino, utique *in expilata hereditate* ab herede institui nequit, qui cum ablatis fieret, dominus nondum erat. Sed si hos apices iuris relinquamus, et *de expilatione hereditatis quatenus delictum publicum est*, loquamur, nihil video quod eius iniustitiam furto leuiorem efficiat. <sup>d)</sup> Quod enim nondum certus definitusque sit rerum hereditariarum dominus, id auferentem eas non excusat, qui hoc tamen scit, *se dominum non*

Expilatio hodie delictum publicum consideranda.

d) Hinc SCHILTERVS Ex. XLIX. §. 48. adducit ex ANT. FABRO: Principium illud iuris Romani de *hereditatis translatione*, omnium fere gentium generali consuetudine abolitum et contra inductum esse, ut hereditariarum rerum non tantum dominium, sed et possessio ipso iure, et absque facto vilo, qualis penes defunctum fuerat, in heredem quemlibet transferatur. Ex quibus, *pergit* SCHILTERVS, conficitur, *hereditatis expilationem* hodie *furtum* non tantum esse, sed et *atracius*, secundum propriam criminis expilationis naturam: adeoque et furti actionem *sive* ciuilem *sive* criminalem contra expilatores competere.

non esse, nihil enim ad furtum minuendum facit quod cuius sit, ignoretur. v. l. 43. §. 4. de furt.

## §. X.

Imo grauius delictum hoc esse furto, si quis statuere velit, nec auctoritates desunt, nec argumenta, eiusdem saltem ponderis, quam quae pro contraria parte adducuntur. Ipsi, quem CARPZOVIVS citat, BARTOLO ad l. 1. §. 1. de effract. et expil. hereditatis expilator improbius fur, vocatur. BARTOLVM si censeas aequiuocatione vocabuli *expilator*, quam ante iam indicavi delusum, videndum erit quid regeras ad l. 12. C. ex quib. caus. infam. irrog. cuius verba haec sunt: *Si te expilasse hereditatem sententia Praesidis conspiterit, non ex eo, quod non et alia poena tibi irrogata est, furti improbius infamiam euitasti.* Ex hac lege ad minimum constat, dari casus in quibus expilator hereditatis atrocius alio fure delinquit. Nam in genere delictum hoc, propter hanc legem atrocius furto dicere ego nolim, cum forte in DONATO ad quem *imperator* haec rescripsit, singulares circumstantiae delictum adgrauantes adfuerint. Quare non facio cum GOTHOFREDO ad h. l. qui hoc crimen semper improbius furtum esse, ex lege colligit, et citat l. 1. §. 1. de effract. quae, an huc trahenda sit propter ea, quae §. 4. dixi, dubito.

## §. XI.

Sed si expilatorem hereditatis magis fure delinquere ex legibus non euidenter satis constat, ratione tamen id ostendi putat TITIVS in l. Pr. l. V. c. 11. §. 4. defectum possessionis, quantitatem delicti intendere existimans et hinc explicans citatam modo l. 2. C. ex quib. caus. infam. Neque haec sententia omnino reiicienda videtur. Aequum sane existimo ut grauioribus poenis retineantur homines ab illis delictis, ad quae committenda facilitas ipsa ea exsequendi inuitare potest. Iam vero facilius, quam aliud furtum, committi videtur hereditatis expilatio, quod hic rerum possessor et custos desit, aut ad mini-

*Expilatio furto grauius delictum videtur.*

*Ostenditur hoc ex l. cit. 12. C. ex quib. caus.*

*Receditur a Gothofredo.*

*Expilationem grauius furto esse delictum statuit Titius.*

mum negligentius in istis custodiendis versetur, qui incertus adhuc est, sibi ne eas custodiat an aliis. Haec igitur ratio suadere posset, ut grauior poena in hoc crimen, quam in furtum statueretur. In qua sententia est etiam IOANNES a FELDE, in *Elem. iur. P. II. c. 4. membr. 3. part. 2. art. 14. p. m. 207.* Et THOMAS. ad *π. tit. expil. hered. Moribus Germaniae*, scribit, *non est leuius furto, sed grauius, adeoque et aduersus heredes coercetur.* Hinc SCHILTERVS, *Exer. XLIX. §. 48. Ex quibus*, dicit, *omnino conficitur, hereditatis expilationem hodie furtum non tantum esse, sed et atrocius, secundum propriam criminis expilationis naturam: adeoque et furti actionem siue ciuilem siue criminalem contra expilatores competere.* Quodsi igitur *cit. L. 12. de crimine* hoc in genere accipias, poteris illud iure quodam *improbius furtum* vocare, quod facilitate committendi maiorem poenam mereatur, neque ita *per abusionem* dici, sentiendum erit cum ECKHOLDO in *compend. Pand. tit. expil. hered. §. 1.*

## §. XII.

*Expilationem esse furtum ostendunt statuta Brunsvicens.*

Quae hactenus disputavi, ne scholae speculationes videantur ab vsu fori exfulantes, confirmo exemplo statutorum *Brunsvicensium*, quae edita sunt A. C. MDLXXIII. Dictant haec statuta furibus, *tit. 43.* in genere suspendii poenam, si magnum sit furtum, aut spes emendationis desit; in aliis casibus eam arbitrio iudicis relinquunt. Sed de eo crimine, de quo iam ago ita disponit *tit. XXXIX. p. m. 49. von Bestelunge eines Erbes.* Würde iemandt in ein Haus gehen, bey Tage oder Nacht, darin ein legend ynangenommen Erbe vorwart wurde, vnd von solchem Erbe etwas zu seinen Händen nehmen vnd stelen, der soll nach größe des Diebstahls mit der Staupe, oder mit dem Stricke gericht werden.

## §. XIII.

*Si expilatio facta a coheredibus mistior*

Haec de eo casu, vbi ex hereditate ille aliquid abstulit, ad quem nihil hereditatis spectabat. Sed quid si coheredum vnus tale

rale delictum committat? Nullum dubium est, mitius hic debe-<sup>suit obtinet</sup> re procedi, quia coheres pro parte dominus est, vel esse potest,<sup>poena.</sup> si velit. Non igitur expilatae hereditatis crimen ei intendi potest, v. l. 3. C. famil. herc. Scilicet, grauius hoc remedium adhiberi non debet, cum leuius, familiae erescundae iudicium, competat. Pertinent huc quae in statutis Brunsvicensibus c. l. porro leguntur: Wo aber ein Erbe selbst etwas aus der Erbschaft vorschleift oder vorhelet, vnd in das gewöhnliche inuentarium nicht bringen leßt, vnd kan dessen überweistet oder überwunnen werden, er muß es doppelt erstatten, denen, welchen es zugehöret, hette er selbst auch ein Theil daran, sein Recht vnd Antheil hat er verloren, vnd muß es den andern allein folget lassen. Haec dispositio non multum differt ab eo quod leges Romanae statuunt in ablatione rei, quam quis ad se spectare existimauit, vt scil. si res sit auferentis propria, amittatur, si non sit, addito precio restituatur. v. §. 1. I. de vi bon. rapt. i. l. 13. quod met. caus. et l. 7. C. vnde vi.

## §. XIV.

Similiter contra vxorem expilatae hereditatis agi non potest, sed actio in rem contra eam instituenda est. v. l. 17. C. de furt. l. 5. n. expil. hered. l. 33. de N. G. ratio additur, quia nec furti actio contra eam datur. Haec vel ea propter adducenda hic sunt, quia exinde adparet, non leuius existimatum fuisse apud Romanos ipsos expilatae hereditatis crimen furto. Nam alias ICTi Romani in fauorem vxoris haec non disposuissent.

## §. XV.

Cum igitur ex omnibus quae adducta sunt, id conficiatur, expilatorem hereditatis, grauitate delicti sui furi esse aequiparandum, facile etiam resolui poterit quaestio, quae opportune hic in mentem venit: An res hoc modo ex hereditate iacente ablata, vitio rei furtinae, quod vsucapionem impedit, laboret? Neque illam ex principiis hactenus expositis adfirmare dubito, saltim si de expilatorem extraneo sermo sit: Nam si ille rem abs-<sup>An res ex be-  
redit. iacente  
ablata, labo-  
ret vitio pro-  
pter quod  
vsucapi non  
tulerit possit?</sup>

tulerit, qui ius aliquod in hereditatem habebat, furtum, et adeo rei furtivae vitium cessare, ex §. 13. infero. Nisi maior pars, quam ad auferentem pertinet, vel res, in quam cadit adfectio, quaeque diuidi non potest, etc. ablata sit, quibus casibus, *a. §. 12. I. de obl. quae ex del. et l. 29. rer. amotar.* iudicis arbitrium excludendum non erit.

## §. XVI.

An expilatio  
legatariis no-  
ceat?

Ultimo quaeritur: an expilatio hereditatis etiam legatariis noceat, ita ut summa iis relicta, propter factam expilationem minui possit? Quod prima facie affirmandum videretur, cum casus hic ab haerede nec praevideri nec auerti poterit. Verior tamen censenda opinio, *haeredi tantum nocere expilationem, per L. 5. C. de crim. expil. haeredit.* ut ea propter, si post expilationem tantum non superfit ut quartam saluam habeat heres, non tamen possit quid detrahere legatariis Falcidiae nomine *v. §. 2. Inst. de Leg. Falc.* Quae sententia mea tamen eo limitanda erit casu, *si ipsae res legatae per expilationem perierunt. v. §. 16. I. de legat. conf. Ill. de LEYSER Vol. VIII. Spec. DLVI. in f. p. 412.*

## A D D E N D A.

## I.

Rubrica *art. CLXV. ord. cr.* concipitur: *So einer etwas nimt von Gütern deren er ein nechster Erbe ist.* REMVS hanc inscriptionem sic vertit: *Expilatae hereditatis et rerum amotarum poena.* REMVM, more suo, secutus est MATTH. STEPHANI. Versioni vero REMI subscribendum non esse, arbitramur: 1) Quoniam *Caesar* non totum genus expilatae hereditatis hoc articulo comprehendere voluit, sed eam tantum speciem, qua furtum committitur *a cognato proximo.* Nemo enim, ut putamus adferere audeat, quasi Auctores constitutionis *Carolinae* crimen expilatae hereditatis, heredibus legitimis tantum adsignarint, cum extranei omnino etiam hereditatem expilare possint, eo-que nomine recte conueniantur. *v. l. 2. ibi: aduersus vitricum. l. 3. ibi: aduersus nouercam quondam tuam. C. de crim. expil. hered. (IX. 32);* etiam



etiam tutor, v. l. 3. §. 5. in f. de susp. tutor. et quibus alius. v. l. 21. pr. de acquir. vel amit. hered. 2) quia verba rubricae vnicum tantum casum expriment, sic vt alter per affinitatem, v. l. 4. C. de crim. expil. hered. duntaxat adiectus intelligatur. Nec, vt REMO accedamus, mouet nos interpres Gallus, qui etiam hic nimis liberaliter et generaliter vertit: *De l'expilation d'hoirie*. In versione sub rubrica: *Ordonnances criminelles du serenissime tres puissant et invincible Empereur Charles Cinquieme, et du S. Empire Romain à Montbelliard 1612. conf. TABOR in crimin. definit. racemat. ad hunc articulum Vol. II. p. m. 264.*

II.) Certe nobis persuasum habemus art. cit. CLXV. minime gentium generaliter de quibuscunque expilatoribus hereditatis et patrimoniorum esse accipiendum, licet ita generaliter eius summam haud pauci concipiant. Totus enim contextus aliud ostendit, quia saltem specialissime de duobus coniunctissimis subiectis Caesari hic est sermo. Nimirum *de coniuge, viro aut vxore, et de herede proximo.*

III.) Si a viro vel vxore vel alio agnato res maximi pretii e communi hereditate sit ablata, dubitandum non est grauiorem poenam constitui posse, si scil. iudex ea propter imploratus sit; Ex officio enim in eiusmodi delicta inquirere, iudex prohibetur, cit. art. in f. Nec statuendum cum LYNCKERO dec. CCXXX. et MCCCIV. quasi Caesaris scopus fuisset tantum poenam patibuli in hac specie excludere, reliqua iis iuribus, quae de furibus communiter quoad inquisitionem et poenam ex officio constituta sunt, relinquere, vt proinde et hic expilatores ex officio accusari aut puniri possint. Hoc quippe pugnat cum verbis finalibus articuli nostri. Caeterum in furtis eiusmodi familiae et agnationis, laedentis et laesi, iam diu habita ratio apud nostrates. Hinc etiam paroemiae: *Niemand schändet sein eigen Gesicht. Niemand spreyet in seinen eigenen Barth*, vt proinde articulus noster iuri Germanico oppido conformis sit, in furto agnatorum huius animaduertens.

IV. Queritur: Si duo vel plures simul heredes in testamento sint instituti, et vnus ex coheredibus, ante aditam hereditatem aliquid ex illa auferat, an vel plane nulla, vel ad minimum mitiori poena, iuxta artic. nostrum CLXV. sit afficiendus? Putant quidam mitiorem poenam esse statuendam, idque arg. l. 51. pro soc. Nobis tamen contraria arridet sententia, quia de horum poena mitiganda nihil in ipso articulo, nil in analogia iuris Germanici, nil denique in ipsa sana rationeprehenditur. Argumentum a societate desumptum huc quadrare non

non

non videtur, nam inter ipsos etiam socios, si dolus aut evidens fallacia adfit, furti actio locum habet, v. l. 45. pro soc. Et inter coheredes testamentarios nulla plane intercedit amicabile societas, sed tantum communio quaedam, quam fors introduxit.

V.) Permittit *Nemes. Carol. art. CLXVI.* furtum in vera famis necessitate. Loquitur articulus conceptis verbis tantum de comestibilibus, *ibi:* etwas von essen den Dingen zu stehen geursacht würde. Per esculenta autem, non tantum intelligimus panes aut cibos iam paratos, vt farinam, farcimina, lardum, pernas, carnes fumo duratas, v. COLER. *lib. II. de alim. c. VII. n. 51.* sed etiam cibos parandos, vt oues, vaccas, sues, v. BOCER. *de poen. furt. c. II. n. 176.* Non autem res alias quascunque, ex quibus distractis, edulia queant comparari. *Licet* hoc quidam asserere velint, vt DAMHOVD. CLARVS, HÄRPRECH. et alii apud CARPZ. *Quaest. LXXXIII. n. 45.* An vero articulus ad alias res, vbi est simile vitae periculum, v. g. ad vestimenta contra frigus, etc. extendi debeat? non conueniunt. Negat hoc de BERGER *El. Iurispr. Crim. c. II. §. XIV. p. m. 54. it. TABOR ad h. art.* Affirmat CARPZ. *cit. loc. n. 46. per cap. 3. X. de furt.* Nobis placet CARPZOVII opinio, cuius obseruanti in foro adferit ipse BERGERVS. Caeterum vt tale furtum permittatur, requiritur 1) vt adfit extrema inopia, 2) vt is qui in eiusmodi necessitate constitutus est, neque pretio neque precibus, neque oblata opera, victum aut amictum, quo indiget, impetrare potuerit, (hic paulo aliter incedit KRESS. *ad h. art. n. 2. p. m. 601. edit. nou.*) 3) vt praeter culpam propriam in eam inopiam inciderit, et 4) ne dominus rerum, quas auferre vult, pari necessitate prematur, aut mox in eam sit deuoluendus, v. BVFENDORFF *de O. H. et C. Lib. I. c. V. §. 23. seq. et de I. N. et G. lib. II. c. VI. §. 5. seq.* Hisce enim casibus ex obligatione imperfecta fit perfecta, aut si mauis, *ex virtute ius.* IDEM *cit. loc. LVD. ad cit. art. LXVI. 10. SAM. FR. BOEHMER, Elem. Iurispr. Crim. Sect. II. c. XII. §. CLIII. p. m. 270. Addat omn. BEYER in posit. iur. diuin. Lib. XII. pos. 75. seqq.*

VI.) Legibus Burgundionum *Lib. I. tit. X.* in canis furem, ridicula admodum poena constituitur; Fur enim canis posteriora osculari tenetur. v. POLAC. *System. Iurispr. ciuil. German. antiquae Lib. III. c. XI. §. VIII. p. m. 201.*



u machst, gelehrter Freund, nun öffentlich  
bekannt

Wie Du bisher die Zeit und Kräfte ange-  
wandt,

Es zeigt Dein Verstand bey Deiner Gegner Schlüsse,  
Wiewohl er wahr und falsch zu unterscheiden wisse.

So sammle denn nunmehr davor den Nutzen ein,

Ich kann Dir wenigstens viel gutes prophezeihn,

Man wird inskünftige mit Wahrheit sagen können,

Du seyst ein rechter Schmidt von Deinem Glück zu nennen.

Hierdurch wollte seinem hochzuehrenden  
Freunde, Contubernali und Lands-  
manne aufrichtig Glück wünschen.

Christian Gottfried Wiede,

Lubensf. Lufat. infer.

OPPONENS.

Mein

Mein Freund, was soll ich heute machen,  
Was giebt mir dieser Tag zu thun?  
Soll ich etwann Dein Thun verlachen?  
Soll etwann meine Muse ruhn?  
Nein! Nein! Die ächten Freundschafts-Pflichten,  
Die Pflichten meiner Schuldigkeit,  
Die muß ich meinem Freund entrichten,  
Dem diese Zeilen sind geweyht.

Du willst gelehrter Freund beweisen,  
Da Du heut aufs Catheder steigst,  
Wie diese nur Gelehrte heißen,  
Die das, was Du mit Ruhm erreichst,  
Und deren eifriges Bestreben,  
Womit Dein Eifer ist bemüht,  
Durch kluges Wissen sich zu heben,  
Die Früchte ihres Fleißes sieht.

Dein Denken, und Dein Ueberlegen,  
Dein Wissen und Geschicklichkeit  
Befiehlt mir heute zu erwegen,  
Der wahren Weisheit Wichtigkeit;  
Sie zeigt und will mich dahin lenken:  
Nur der beweise seinen Fleiß,  
Der durch sein kluges Ueberdenken,  
Den Feind zu widerlegen weiß.

Dich hat o! Freund, ein reifes Wissen,  
Das nur der Unverstand veracht,  
Ein scharfer Wig, ein gründlich schlüssen,  
Zu diesem hohen Ruhm gebracht.  
Wie schön ist dis nun eingetroffen!  
Wie froh erseh ich in der That,  
Was einst mein Wunsch, was einst mein Hoffen,  
Sich längst von Dir versprochen hat.

Vor Kurzen warst Du unserm Orden,  
So bald Dein Mund sich hören ließ,  
Zum Muster und zum Reiz geworden,  
Da Schluß auf Schluß uns überwieß,  
Wie nicht ein faul und leer Geschwäge,  
Sey Weisheit und Geschicklichkeit.  
Rein! Rein! Die allernettsten Säge  
Berriethen die Gelehrsamkeit.

Wohlan! so steige denn im Segen,  
Zu Deiner Ehren=Stuff hinauf,  
So wirst Du auch auf Deinen Wegen,  
So wird Dein ganzer Lebens=Lauf,  
So wird Dein Ruhm beständig grünen,  
So kannst Du manchem gutem Freund,  
Nach langer Zeit zum Muster dienen,  
Mit dem Dus herzlich gut gemeint.

Seinem werthgeschätzten Freunde  
schriebe dieses zum beständigen  
Andenken

Christian Gottlob Degenkolb,

Stolp. Misn.

OPPONENS.

---

So sammle denn, mein Freund, des Fleißes süße Früchte,  
Durch ihr Ergötzen wird die größte Last zunichte,  
Die dessen Schultern drückt der bey der Einfalt Flucht,  
Den ungebähnten Weg nach Themis Lempel sucht!  
Bey nie gescheuten Schweiß, in viel durchwachten Stunden,  
Hast Du ihn kühn gesucht, und ietzt beglückt gefunden.  
Dein Kästner, Themis Sohn, theilt mit Dir Macht und Ruhm,  
Und führt als Lehrer Dich heut in ihr Heiligthum.

Jch

Ich weiß, es wird Dir auch an Gründen nicht gebrachen,  
Für die Gerechtigkeit gelehrt und wohl zu sprechen.  
Ich weiß, und hab es oft bewundernd angehört,  
Wie Du dem der geirrt, durch Deine Kunst belehrt.  
Du hast mich heute selbst, Dein Feind zu seyn, gebethen;  
Mit Freud und Furcht muß ich zu Deinen Gegnern treten,  
Dein Nein wird jetzt mein Ja, Dein Ja wird mir zum Nein:  
Warum? ich soll und will von Dir belehret seyn.  
Dis und noch mehrers läßt mich Deine Einsicht hoffen.  
Ich seh Dir steht bereits der Ehren-Tempel offen:  
Ich bin nicht neidisch drum, ich gönne Dir dis Glück;  
Und bitte nur: sieh stets auf Deinen Freund zurück.

Dieses schrieb aus aufrichtiger Freundschaft gegen den Herrn Respondenten

Friedrich Julius Biel,

Sneeb, Misn.

OPPONENS.



vol 18

ULB Halle  
006 529 909

3









*1746*

*1746, 11. 46*

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**CRIMINE EXPILATAE  
HEREDITATIS**

QVAM  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
PERMISSV  
SVB MODERAMINE  
**ABRAHAMI KAESTNER**  
V. I. D. ET P. P.

IN  
AVDITORIO ICTORVM  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
**CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHMIDI**  
LVBEN. LVSAT.

DIE X. AVGVSTI A. R. S. CIOI<sup>0</sup>CCXXXVI.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

